DISSERTATIO MEDICA DE CAUSA IMMUNDITIEI SPERMATIS HUMANI APUD…

Simon Wolf Worms

Google

DISSERTATIO MEDICA

DE

CAVSA IMMVNDITIEI SPERMATIS HVMANI APVD EBRAEOS

QVAM

LOCO SPECIMINIS INAVGVRALIS

PRO

LICENTIA

IMPETRANDI PRIVILEGIA DOCTORALIA

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

SIMON WOLF WORMS

MOENO - FRANCOFVRTENSIS .

NATIONE EBRAEVS.

GISSAE

EX OFFICINA BRAVNIANA.

CIↃ IↃCC LXVIII.

SACRI ROMANI IMPERII
LIBERAE ET INCLYTAE REIPVBLICAE
FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM

SENATVI

SPLENDIDISSIMO AMPLISSIMOQVE

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, ET GRAVISSIMIS

DOMINIS

PRAETORI

CONSVLIBVS

SCABINIS

SYNDICIS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

IN DEBITAE DEVOTIONIS TESSERAM

INTER FERVENTISSIMA

PRO

TANTORVM VIRORVM, TOTIVSQVE REIPVBLICAE

SALVTE SEMPITERNA

VOTA

SVBMISSA MENTE DEDICAT

SERVVS HVMILLIMVS

SIMON WOLF WORMS

§. I.

Iſraelitis vates legiſlatorque ſacer diuino decreto & ore legem ſequentem promulgauit ac ſacris paginis his verbis hebraice Leu. Cap. XV. ℣. 16. 17. & 18. expreſſit.

16. ואיש כי תצא ממנו שכבת זרע ורחץ במים כל בשרו וטמא עד הערב :

17. וכל בגד וכל עור אשר יהיה עליו שכבת זרע וכבס וטמא עד הערב ·

18. ואשה אשר ישכב איש אותה שכבת זרע ורחצו במים וטמאו עד הערב ׳

Quae latine ſenſu literali & verbali ita ſonant:

℣. 16. Vir de quo egreditur profuſio ſeminis, bal-

neo

legis inueſtigare ac rationem pro tenuitate ingenii mei reddere, cur talis liquor ad excretionem a natura deſtinatus ac ad propagationem ſpeciei neceſſarius praeter omnes humores ac partes liquidas & fluidas corporis humani virilis excretas in ſtatu naturali ac ſano eiectus, virum, de quo effluit, immundum reddat, &, quod magis mirandum, in actu etiam a Deo praecepto & in paradiſo ab ipſo Numine venerando πρωτοπλάστω ad ſobolis procreationem iniuncto maritus cum vxore polluti declarentur. Vnde ABARBANELL *in Commentario* ad hunc locum quaeſt. 14. talibus verbis dubium ſuum producit

איככה ואיככה נמנה בחיות בכלל הטומאות והאיש אשר ישכב את
אשתו שכבת , זרע כי הנה מה שהיא מצות ממצות התורה אין
ראוי שימנה בכלל הטומאות , ושכבת האיש עם אשתו ממצות התורה
לישא אשה

(i. e.) *cur & quomodo cenſui pollutionum virum, qui cum vxore ipſius concubitum ſeminis habebit, adnumerat? Nam hoc, quod eſt vnum praeceptorum legis, non congruum eſt, ſub numerum immunditierum comprehendere; nam concubitum mariti cum vxore lex, quae iuſſit vxorem ducere, praecepit.* Addo, quod mandatum de coniugio & propagatione ſpeciei primum ſit totius legis, vt vno ore omnes Rabbini docent. Confer inter alios Cel. MAII *Theol. Iud.* p. 192.

§. IV.

Antequam vero ad reſponſionem harum difficul-

cultatum accedam, prius ſubſtantia, indoles ac natura ſeminis humani & quomodo ad generationem concurrat, indaganda veniunt.

§. V.

Semen virile eſt liquor ſpiſſiuſculus albicans ex tenuiſſimis & defaecatiſſimis ad nutritionem partium totius corporis deſtinatis particulis ſecretus, ſumme volatilis, ad ſibi ſimile producendum idoneus.

§. VI.

Quod ſit tenuiſſima volatilis imo ſpirituoſa eius materia, vaſa ac canaliculi ſiue filamenta tenuiſſima anguſtiſſima ac concaua, per innumerabiles anfractus inter ſe replicata, ex quibus teſtes non ſecus ac cerebrum coagmentati ſunt, per quos gyros & vaſorum conuolutiones nil, niſi quod valde ſubtile eſt & eorum orificiis reſpondet, intrare poteſt, demonſtrant.

§. VII.

Magnam conuenientiam ſeparatio fluidi neruei in cerebro cum ſecretione fluidi ſeminalis habet; ſicuti enim cerebri arteriae in minima vaſcula, quae corticalem & medullarem ſubſtantiam conſtituunt, abeunt; itaquoque arteriae ſpermaticae in ſubtiliſſimos ductulos conuolutos, qui iuxta BELLINI calculum 300. vlnas florentinas exaequant, deſinunt, &, quemadmodum liqui-

dum

dum nerueum per neruos appoſitos ad partes fluit: ita liquor ille ſeminalis per epididymides quae quaſi medullam cerebri referunt & vaſa deferentia ad veſiculas ſeminales vbi fit viſibilis, progreditur. Fila etiam illa, in quae teſtes maceratione in aqua reſoluuntur, concaua eſſe, patet ex humore, qui ad vaſa deferentia & veſiculas ſic dictas ſeminales ex teſtibus profluit. Item ex tumore teſtium ſaepe numero admodum grandi, qui ex ſtagnatione humidi ac diſtenſione tubulorum accidit.

§. VIII.

Cum itaque ſtructura teſtium cerebro ferme ſimilis ſit, non mirandum quoque eſt, magnam conuenientiam partes liquidas in vtroque loco ſecretas, ſemen nimirum & liquidum cerebri & neruorum habere. Exinde etiam ratio deriuanda, cur ab intempeſtiuo & nimis frequenti veneris vſu functiones animales debilitentur, corporaque fiant imbecilliora, quia nempe liquidum ſeminale ſpirituoſum cerebro & neruis ſubtrahitur. Ex eadem ratione in aprico eſt, quare moderata, tempeſtiua & ſera venus non ſolum robuſtiores, morbisque minus obnoxios, ſed etiam ingenioſos magis nos reddat. Vnde etiam ABARBANELL *in Comment. ad Geneſ. Cap. VI.* longaeuitatem priſcorum deducere vult. Recte etiam hac ex cauſa HIPPOCRAT. *l. d. genit. §. 1. ſcribit: Genitura viri prouenit*

ab humido, quod in corpore exiſtit & robuſtiſſimum eſt, ſecreto: ratio eius, quia robuſtiſſimum ſecernitur eſt, quod a veneris vſu, tam pauca materia emiſſa, imbecilles redduntur.

§. IX.

Quomodo autem hic liquor licet ſpirituoſiſſimus & ſubtiliſſimus ad ſpeciei propagationem concurrat, hic labor hic opus, ſeque ex tali labyrintho, hactenus nondum concordantibus & toto coelo discrepantibus opinionibus & hypotheſibus non ſat demonſtratis, extricare difficillimum eſt.

§. X.

Atramen ſequentia, autopſia & ratione ceu optimis Magiſtris docentibus, extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt. α) Quod niſi ſemen maris calidum in vterum eiaculetur, nulla conceptio fieri poſſit; vnde Talmudicorum Tr. Chagiga fol. 15. regula

כל זרע שאינו יורה כחץ אינו מזריע

omne ſperma, quod non ad inſtar ſagittae inicitur, ad prolificandum ineptum eſt. β) Si nexus vteri cum ouariis aut communicatio per tubas ita dictas FALLOPIANAS per ſcirrhoſitatem aut obſtructionem vel flacciditatem ſiue alio quouis modo fuerint intercepti impeditiue, tunc nunquam impraegnatio fit. γ) Aliquan-

do

Google

do in ſcrutinio anatomico foetum in Fallopianis Tubis inuentum fuiſſe luculenter ex obſeruationibus patet. Item ²) in animalibus ſub congreſſu aut paulo poſt occiſis demonſtratum eſt, ouula in rigidas & ouarium amplectentes Tubas Fallopianas hiaſſe, imo intra tubas recepta fuiſſe & tandem in vtero deprehenſa. ³) In membrana ouaria circumuoluente poſt foecundum coitum cicatrix inuenta fuit.

§. XI.

Ex dictis apparet quidem, ſemen maſculinum ad foetus formationem nihil efficere, niſi vtero adplicatum & ouario per memoratas tubas ruptura membranae ambientis communicatum. Sed adhuc cauſa efficiens, quomodo nimirum effectus tam mirabilis ex his actionibus & paſſionibus ſequatur, ſummis tenebris, licet a primis incunabulis ſcientiae medicae a clariſſimis viris & naturae ſcrutatoribus indefeſſa opera disquiſitum fuerit, inuoluta eſt.

§. XII.

Prolixius erit, imo taedium faſtidiumque pariet, ſententias omnes tam varias & ſibi contradicentes in medium afferre; idcirco tam illorum Ariſtotelem ſequentium, qui virtutem plaſticam ſemini maſculino ſoli tribuunt, quam aliorum qui hanc vim in vtero eſſe affirmarunt, ſententias vna cum eorum

hypotheſi, qui facultatem ſemini ineſſe coágulantem eodemque menſtruo ſanguini in vtero latenti commixto foetum ab hac confuſione produci autumant; ſimul cum chymicorum aliquorum hariolatione, qui ſomniant ſemen maris a calore fermentari & ſic foetum formare, miſſas faciemus, cum iam dudum e foro medico exploſae ſunt; potius neotericorum ſententias probabiliores examini ſubiicere animus eſt.

§. XIII.

Prima ſe ſiſtit clariſſimi HARVEI ſententia plurimis experimentis & authoritate excellentiſſimorum in arte heroum vtpote STENONIS, KERKRINGII, GRAFII, SWAMMERDAMII, HORNII, RUYSCHII, WARTHONI *in adenogr. c. 33. p. 232.* & FRIDER. HOFMANN. T. I. lib. 1. ſ. 2. c. 12. Medic. rat. ſyſtem. & aliorum ſtabilita (Conf. GARMAN in tract. quem, homo ex ouo inſcripſit), quae huc redit: in quouis ouulo feminino exiſtere ſubtiliſſima rudimenta & ſtructuram totius corporis, quae defectu principii mouentis in quiete manent, vsque dum a ſemine virili, quod, vt ſupra demonſtratum eſt, admodum ſpirituoſum, elaſticum ac volatile eſt, in vterum eiaculato & ſubtili eius aura per tubas Fallopianas ad ouulum delata penetrantur ac expanduntur, & ſic foetus praeexiſtentis rudimenta euoluuntur, ouu-

ouulumque elaſtico fluido expanſum & agitatum ex ouario ad vterum delatum ibi nutritur.

§. XIV.

Contra hanc vero hypotheſin excipitur *a*) ſimilitudo infantum cum patre, quam intelligere non poſſumus, ſi omnia lineamenta & rudimenta foetus iam in onulo materno ante congreſſum cum mare exiſterent ac formata eſſent. *b*) Talis praeformatio, quam nemo, licet optimo & exquiſitiſſimo microſcopio inſtructus, vnquam hactenus viſu percepit, (in ouulo enim nihil videtur adeſſe praeter materiam gelatinoſam) ens in potentia & in intellectu, ſed non in effectu eſt. *c*) Obſtat huic opinioni difficultas a celeberr. EBERHARDI *in conſpect. Medicin. theoret.* P. I. p. 230. allata his verbis: *Si ſtructura*, inquit, *in ouulo adeſt praeformata, vaſcula quoque adeſſe debent ſubtiliſſima. In his vel fluidum, vel non; ſi fluidum ineſt, illud moueri nequit, vita ſcilicet nondum praeſente. Stagnans vero fluidum corrumpitur. Si non adeſt fluidum, tunc collapſa vaſorum latera cohaerere debent, & concreta adeo obſtrui, quod tamen non fit.* Poſſumus quidem contra allatas obiectiones diſputare, ſed ob anguſtiam loci manum detrahimus, ſufficit hanc opinionem inter acutas & ingenioſas demonſtratione certa carentes referre, praeſertim ſi conſideramus, *d*) nullam nobis viam, nullum organon, nullam ef-

ficientem ſecretionis horum rudimentorum, totius corporis futuri, patere cauſam, nec cur talis effectus cum menſium initio inchoet, defectu autem eorum iterum euaneſcat, & cur in vetulis non eandem efficaciam, vti ſemen in ſenibus maſculis, retineat. Sane difficultates, quae cum ipſa generationis ſpeculatione pari paſſu ambulant, nec vna ex altera reſoluitur. Scio quidem quamplurimas adhuc cauſas phyſicas & rationes phaenomenorum adhuc in occulto latere, licet res ipſa per experientiam & obſeruationem certiſſima ſit, ſed ipſorum rudimentorum in ouulo exiſtentia nondum comprobata, multo minus demonſtrata eſt. Accedit inſuper *e*) lex diuina, quae in genealogicis ſucceſſionibus aliisque modis familiam patris, ſolummodo pro familia habet, excluſo matris latere, vnde tritum illud Rabbinorum

משפחת אב קרויה משפחה משפחת האם אינה קרויה משפחה.

id eſt proſapia paterna vocatur familia, proſapia autem materna non vocatur familia. Stante autem hypotheſi HARVEANA, hoc effatum omni ratione contrarium eſt.

§. XV.

Altera eſt LOEWENHOEKIANA opinio, quae clariſſimorum virorum BOERHAVII, HALLERI, & aſſeclarum conſenſu ſuffulta haec eſt. In ſemine LOEWENHOEKIVS primo ope microſcopii animal-

malcula innumerabilia caudata minutiſſima viua ad formam anguillularum citiſſime ſe mouentia detexit, hinc concludit, tempore congreſſus ouulum vi intrantis per tubam Fallopianam animalculi ſpermatici maris impraegnari & humore ſuo gelatinoſo pabulum foetui concepto porrigere. Confirmat hanc ſententiam, experientia monſtrante, quod cito poſt congreſſum in vtero ouulum, in quo tale animalculum viuum, iis in ſemine maſculino ſimile ex ouario illuc delatum, deprehenditur; quam ſimilitudinem etiam plures poſt dies non amittit. Conf. celeberr. MALPIGHII *diſſertat. de format. pulli in ouo* &c.

§. XVI.

Sed etiam haec ſententia ab impugnatoribus non immunis eſt; contra eam enim excipitur 1) cum infinita fere copia animalculorum ſeminis in quouis coitu eiiciatur, & vnum eorum ſaltem ad ouulum impraegnandum requiratur, conſequenter omnia animalcula praeter vnum perdantur, idcirco non opus fuerit, vt natura quae nihil fruſtra facit, tantam animalculorum copiam maris ſemini indiderit. Huic animaduerſioni animalculorum patroni occurrunt, dicentes; videmus in plantis quoque infinita ſemina perire, vt vnica planta conſeruetur. Sed valde diſpar eſt a copia ſeminis vegetabilium deſumta ratio. Nam infinita multitudo animalculo-

rum

rum in omni congreſſu, etiam foecundo, neceſſario modo perit; ſecus ſit ſemine plantarum, quod omne, ſi ager ſufficit, hoc vel alio longinquo tempore, ab vno vel pluribus ſeri, vel in alienum ſolum idoneum, etiam procul a patria plantari poteſt. Deinde quem latet, ſemina vegetabilia multifarium culinarium, oeconomicum & medicinalem vſum habere? 2) Animalcula ſpermatica ideo pro rudimento corporis humani haberi nequeunt, quia valde in ſtructura diuerſa ſunt. Aſylum ad quod aſſertores confugiunt, reponentes mutationes inſignes quae in inſectis contingunt negantesque non tantam ſtructurae differentiam inter hominem & animalculum adeſſe, inutum eſt, a poſſe enim ad eſſe non valet conſequentia. Deinde mutationes inſectorum, quae plenariam deſtructionem prioris ſtructurae monſtrant, etiam hanc hypotheſin deſtruunt potius, quam confirmant; denique ſi forma animalculi ſeminalis inſtar anguillulae conſenſu omnium autorum ſit, quo fundamento inficias ire poſſunt, non tantum ſtructurarum diſcrimen intercedere 3) ſimilitudo infantis cum matre, quae nulla foret, ſi ſtructura eius praeformata in patre adfuiſſet. Hanc difficultatem autem diluunt dicendo: a ſucco nutritio matris indui forte poſſe eius ſimilitudinem. Videmus enim, pergunt, ſub vlteriori incremento infantis ſimilitudinem ſaepe quam maxime mutari. Sed quaeſo me rationem doceant, cur tam ſaepenumero exquiſita ſimili-

militudo prolis cum patre maneat. Cur haud raro progenies nec patri ſimilis ſit. Vnde monſtra? Qui plura argumenta deſiderat, adeat ad *Praelect. Academ. in Inſtitut.* BOERHAVII *ab Illuſtr.* de HALLER *edit. Tom. V. Part. I. p. 360. ſeq.* Silentio etiam ob metum prolixitatis praetereo ea, quae alii contra hanc opinionem habent & quorum debilitatem digito quaſi monſtrauerunt.

§. XVII.

Agmen claudit tertia & recentiſſima hypotheſis ab Illuſtr. *de* MAVPERTVIS *in venere Phyſica* a cl. NEEDHAM *in obſeru. microſcopiques* & a cel. BVFFON vt *in Hiſtor. Nat. vniuerſ. T. I. P. I.* videndum venit, ventilata & accepta: quae cum non longe ab antiquorum de ſeminis maſculini & foeminini mixtione diſtat, prius horum ſententia adducenda & dilucidanda venit.

§. XVIII.

Cum corypheo medicorum HIPPOCRATE *lib. de genit.* antiquiſſimi Medici ſemen deciduum eſſe ſtatuerunt. Nimirum ſemen vtriusque ſexus per neruos ex omnibus corporis partibus tali modo, vt quaelibet pars exiguam ſui ſimilem formet delineationem, ad genitalia aduehitur, vbi mixtione foetum formant.

§. XIX.

Hae delineationes a nonnullis ideae nuncupantur, quia ſemen maris, vti multum propter ſubtilitatem partium cum fluido nerueo conuenit, ita etiam easdem vires obtinet, & quemadmodum ad ſummam tenuitatem reductum fluidum omnium impreſſionum capax eſt, ita etiam minima particula fluidi, quae eſt in ſemine, ideam & impreſſionem exquiſitiſſimam partium vniuerſi corporis habet, quae in actum viuum reducta ſimile corpus producit.

§. XX.

Proxima huic ſententiae ergo eſt hypotheſis laudatorum virorum, qui docent, vt cum clariſſ. EBERHARDO loquar, eſſe peculiarem quandam vim in natura, qua partes vt in nutritione ſibi aſſimilari queunt. Scilicet quodlibet membrum ita particulas nutritioni dicatas diſponere, vt tantummodo ad huius membri nutritionem aptae reddantur. Superfluas itaque a nutritione partes ad teſtes deferri ibique tam in maſculis, quam in feminis, (vtrumque enim ſexum ſuo ſemine gaudere) ſecerni. Has partes ſeminales iam omnibus membris eſſe aſſimilatas, hinc ſi inter ſe miſceantur, & motu interno atque calore agitentur, ſe ita ad ſe inuicem adplicare, vt ſtructura inde euadat animalis eiusdem ſpeciei. Hanc adplicationem ad leges attractionis vniuerſalis fieri. Quod ſi

Google

ſi in hac ſeminum commixtione plures adſint partes maſculinae, maſculum, ſi plures femininae, feminam inde fieri. Praeterea volunt, animalcula ſeminis non eſſe ſtamina foetus, ſed ad ſummum, ad compoſitionem totius machinulas requiſitas, quae vt NEEDHAMVS l. c. p. 70. hariolatur, verum ſemen forte in motum cieant.

§. XXI.

Contra hanc ſententiam excipitur partim quod foeminae ſemen non habeant, & partim quod deciduum in quauis notione ſumtum ens mere imaginarium ſit. Quod primum membrum huius obiectionis attinet, confirmant illi, quod mulieres teſtibus, & conſequenter ſecretione liquidi ſpirituoſi ſiue lymphae puriſſimae ſeminalis careant, vnde ratio peti poteſt, quare feminarum corpora multum a viris differant longeque humidioris, mobilioris, ac ſpongioſioris carnis ſint, neque tantum roboris in animo & membris exerant. Qui etiam inter ſperma, quod non eſt ſecundum PARACELS. *de morb.* ♀ *c. 6. p. 301.* vniuerſum ſemen ſed magna eluuies quaedam, quae agitata exundat, & inter ſemen in quo, dicente Helmontio, archeus reſidet, differentiam ponunt, hoc feminas carere, illud vero habere ſtatuunt. Semen viri igitur magis eſt actiuum, foeminae autem magis paſſiuum; pater confert, vt ſic exprimere liceat, τὸ ἐν, mater [illegible]. Alteram partem exceptionis ex

 eo

eo corroborant, quod experientia multiplici doceamur, clandos, mutilos, coecosque generare infantes ſaniſſimos, & vice verſa patrem omnibus membris perfectum producere infantem mutilum, mancum aut numero partium ſuperabundantem. Addo aliam difficultatem, cur tam ſaepenumero inueniuntur pueri matri & puellae patri ſimiles, cum in illis particulae paternae, in his vero maternae ſuperabundent.

§. XXII.

Vt tandem ad noſtram ſententiam declarandam & dilucidandam veniamus, axioma praemittimus: in quod quid reſoluitur, ex illo etiam conſtat. Item ex quibus conſtamus & generamur ex iis etiam nutrimur & vice verſa. Cum vero animaduertimus, prima animantium ſtamina & rudimenta a ſucco lymphatico ſiue liquore gelatinoſo albuminis oui inſtar, incrementa ſumere & pullos imo embryones in aqua tepida penitus in liquorem pellucidum dilui ac reſolui, immo & membranas, cartilagines, oſſa, carnes, coctione debita inſtituta, adhibita praeſertim machina Papiniana, breui in gelatinoſum pellucidum ſuccum reſolui, hinc recte concluditur, generationem & nutritionem, quae inprimis ſub augmentationis titulo, vbi partes quoad omnem dimenſionem debitam dilatantur, generatio continua nuncupatur, ex analogis particulis conſtare. Attamen

materiae nutritioni corporis & propagandae ſpeciei dicatae, gradu ſubtilitatis & ſpiritualitatis quam maxime diſcrepant. Licet enim ſuccus ille quo augentur ac vires & magnitudinem partes adipiſcuntur, ex tenuiſſimis elaſticis & ſubtilioribus particulis, vt in interſtitia fibrarum elementarium, in vaſa minima ac in minimos poroos penetrare & intrare poſſint, conſtare debeat; tamen ſubtilitati ſeminis, quod eſt quinta eſſentia quaſi particulorum nutrientium, non aequiparandus venit.

§. XXIII.

Principium indiſcernibilium, ab illuſtri Leibnitio inuentum vel potius reſtauratum & hactenus magno conamine a celeberrimis Philoſophis vindicatum, docet: nequire duo exiſtere perfecte ſimilia; vel negatur idem poſſe bis exiſtere. A priori haec theſis ſic probatur: omne ens, quod ſaluis omnibus alteri cuidam poteſt ſubſtitui, ſiue quod ab altero ne tantillum quidem differt, eſt idem cum altero, ideoque alterum non eſt alterum niſi hactenus nomine. A poſteriori probatur, quod in corporibus quam maxime apparenter homogeneis nulla ſit perfecta homogeneitas; non enim ſolum quotidiana experientia ad nudos oculos monſtrat differentiam etiam ouorum inter ſe, minimorum foliorum &c. ſed etiam cauſa refractionis luminis radiorum combi-

nata cum obſeruationibus de coloribus oſtendit, ad minimum ſeptem particularum ignearum diuerſas ſpecies oculo nudo percipi poſſe. Vnde facillime concluditur, etiam particulas igneas radium componentes heterogeneas eſſe, ita vt eiusdem radii particulae, alii minori aliae maiori vi in vitrum vel aquam agant: ſpeciatim particulae maiori praeditae vi, in ingreſſu magis franguntur ad perpendiculum quam quae minori gaudent, & in egreſſu magis quoque fortiores debilioribus a perpendiculo franguntur. Qui plura hac de re, quae hoc loco extra ſcopum noſtrum eſt, ſcire cupit, adeat *Illuſtr.* NEWTONII & aliorum celebr. opticorum & Phyſicorum ſcripta. Nobis ſufficit indicaſſe, omne compoſitum ex particulis licet primo intuitu ſimillimis, tamen inter ſe, tam forma, figura, qualitate & quantitate, quam viribus & facultate diſcrepantibus conſtare.

§. XXIV.

Ad compoſitorum cenſum etiam ſemen pertinere, nemo inficias ibit; ergo variis diuerſisque particulis, figura, forma, energia & facultate inter ſe diſtinctis, gaudet.

§. XXV.

Dependet autem haec varietas a diuerſis nutrimenti particulis; & licet ſemen ſit ſpirituoſiſſima & defae-

defaecatiſſima pars materiae auctioni & nutritioni membrorum deſtinatae, tamen non amittit figuram ſcaturiginis. Nimirum, vt me paulo fuſius explicem, nutritio & auctio conſiſtit in particularum nutritientium, membro, quod nutritur vel augetur, per totam ſuam dimenſionem adſimulatione per leges cohaeſionis facta. Nunc autem ſole meridiano clarius eſt, non eadem gaudere grauitate omnes particulas vnius membri vel membranae, multo minus omnes partes corporis eadem grauitate gaudere, ſed habere pro varietate debent quaelibet ſpecificam; conſequenter non quaelibet particula cohaerens ſpeciatim in proportione grauitatis conuenire debet cum particula augenda vel reſtituenda. Porro certum eſt, quod non omnis nutritioni apta materia ob eius copiam & in progreſſu aetatis ob fibras rigidiores ad nutritionem impendatur, ita vt ſecundum calculum a celeberr. HAMBERGERO ductum, ratio longitudinis rudimenti primis diebus ad longitudinem partus excluſi ſit vti 1 · 1440. & huius ratio ad longitud. Infantis 18. menſium vti 12. ad 27. ſiue 1. $2\frac{1}{4}$. denique proportio huius ad Iuuenem 18. annorum vt 324. 720. vel 1. $2\frac{2}{9}$. ideo neceſſario modo fieri debet, vt magna pars harum particularum ſucci nutricii, quae pulſu & ictu arteriarum, per extrema vaſculorum & poros laterales intrauerint fibras, quas rore quaſi rigant & perluunt, iterum mediantibus

tibus vaſculis reuehentibus ad maſſam ſanguineam reducatur & circuletur, donec in ſemen exaltetur & ſecernatur: Poſt hanc ſecretionem tamen indolem, formam & figuram partis, immo fibrillae, de qua deriuatum eſt, ſimul cum grauitate ſpecifica reſpectu aliarum particularum ſemen componentium conſeruat.

§. XVVIII.

Hae particulae vel potius filamenta ſpirituoſa ſpermatis, quae ſumma elaſticitate gaudent, ſunt illa animalcula LOEWENHOEKIANA in vehiculo ſeminis natantia; quae ob motum celerem ab impulſo liquidu viua eſſe videntur, & propria vita animali carent. Nihil aliudque ſunt, quam filamenta, vt iam dixi, partium totius corporis, iam aſſimilata & iterum reſorpta ac in ſperma conuerſa; hac ratione antiquorum ſententia, ſemen a ſingulis corporis partibus decidere, poteſt intelligi.

§. XXVII.

Foeminae quidem etiam partes a nutritione ſuperfluas in ſanguinem iterum redeuntes habent, ſed cum vaſa ſeminis ſecretoria illis deſunt, hac ſecretione praeſertim in tali quantitate vt in viris carent. Attamen magna pars horum filamentorum in veſiculas ſiue ouaria defertur, vbi in corpore ſic dicto luteo

teo concentrantur, & ad ſummam ſubtilitatem ita reducuntur, vt etiam optimo microſcopio non detegantur; & quid mirum in tali quaſi punctulo myriades filamentorum conuolutorum viſum licet artificioſiſſimum effugere.

§. XXVIII.

In foecundo coitu itaque dum pènis in vagina mouetur, ſanguis verſus vterum & reliquas partes genitales largius affluens, & liquidum nerueum copioſius ad has partes ſe mouens, rigidas reddit tubas Fallopianas, easque erectas adplicat ad ouarium; preſſae ſic veſiculae turgidae externam ouarii membranam rumpunt, vt ouulum in dictas tubas deſcendere queat; quae conſtrictorio motu ouulum vlterius ad vterum deferunt; vbi ſemen maſculinum eiaculatum, in ipſum ouulum (quod etiam per tubas memoratas in ipſo ouario fieri poſſe, non refragabor) intrat, & ſic commixtione ſtaminum tam maris quam feminae, illud impraegnat & rudimentum foetus efficit.

§. XXIX.

Animam parentum ab hoc generationis negotio liberam declarare, mihi abſonum videtur. Apparet enim eius actio in appetitu venereo, ex cogitationibus & nudo aſpectu orto; in ipſo actu, vbi ſpiritus ex quauis parte corporis voluptate teſte attrahuntur; quin immo experientia docet, natum ſimilem eſſe illi, cuius imago intenta cogitatione tempore

 con-

congreſſus fuerit repraeſentata. Porro obſeruamus deſideria illa, immo vitia, quibus afficiuntur & flagrant parentes circa tempus congreſſus, maxime hereditaria fieri & in ſobolem transferri.

§. XXX.

In ſemine quod latitet, principium quoddam ſtruens ſ. ſtructuram corporis ordinans, praeter iam dicta inde patet, quod peruerſae matris phantaſiae & impreſſiones foetus quoad certas partes ſtructuram re- & deformare inuertereque poſſint; vt ipſa experientia fere quotidiana & innumerae hiſtoriae paſſim conſignatae confirmant. Itaque coniunctio innumerabilium ſtaminum maris, formam partis de qua originem ſumſerunt habentium, cum illis in ouulo feminco exiſtentibus praeformatis particulis, naturali & plane legibus adhaeſionis conformi motu ſub directione animae facta, formationis foetus eſt cauſa efficiens: ſi plures particulae partium genitalium maſculi in hac coniunctione adſint, maſculum, ſin autem particulae genitales foemininae praeponderent, feminam efficiunt. Hocque animae moderamine particulae deficientes vnius ſexus vel genitoris vel genitricis, in formatione foetus ex vnius alteriusue procreantium particulis complentur & reſtaurantur. Vnde facile patet ratio, cur a patre coeco vel mutilo, ſoboles integerrimae generentur.

§. XXXI.

Accidere tamen poteſt, vt ob nimiam abundantiam, malam conformationem, figurationem, combinationem ac cohaeſionem ſtaminum aliasque cauſas quae enumerare & inueſtigare nunc nec tempus nec locus permittit, varia & inſolita in lucem edantur vel ſaltem in vtero formentur, & ſic corpuſcula a naturali figura valde remota & vno verbo monſtra oriantur.

§. XXXII.

Talmudiſtae iam talem formationis hominis modum *in Tract. נדה ſ. demonſtruatis cap. 3. fol.* innuunt, dicentes: In procreatione hominis tres ſunt ſocii; nimirum Deus ſacer benedictus, pater & mater; patris ſemen eſſe album, de quo partes hominis ſolidae albicantes vt oſſa, vaſa, nerui, cerebrum &c. matris ſemen eſſe rubrum vel luteum, ex quo partes rubicundae & flaueſcentes, e. gr. caro parenchyma, ſanguis formantur &c. Deus autem dat ſpiritum, animam, vim motionis, intellectum & ingenium &c. Confiteor, commentatione prolixiore hunc locum egere, ſed prolixitatem euitare lubet; ſat eſt quod ſecundum mentem iſtorum priſcorum, non ſolummodo rudimenta partium ſolidarum, ſed & liquidarum & fluidarum in ſemine patris atque matris exiſtant.

§. XXXIII.

Nunc metam attingimus, quam ab initio deſideravimus, cauſam immunditiei ſeminis humani indicare, id quod modo paucis verbis perficiemus. Notum iam eſt ex capite 19. Numer. V. 11. ſeq. etiam tantillum ex cadauere hominis in ſummo gradu a Miſchniacis אבי אבות הטומאה vocato pollutum eſſe, de quo ſi placet conf. inter alios OTHONI lexic. Rab. Philolog. pag. 273. 496. LIGHTFOOTI Hor. Hebr. Talm. p. m. 309. 395. &c. HOTTINGERI Ius Ebraeor. p. 230. & 34. &c. & eiusd. compend. theolog. 327. atque ex hactenus dictis, niſi me omnia fallunt, clarum eſt ſeminis ſubſtantiam eſſe congeriem filamentorum partes corporis repraeſentantium, vnde ſequitur, quod tales particulae e corpore eiectae inſtar membrorum hominis demortui habeantur & tangentes polluant. Quia vero non ſunt partes abſolutae & perfectae leuiorem gradum pollutionis ita habent, vt non per ſeptem dies ſed ſaltem ad veſperam vsque conſpurcent; nec aſperſionem aquarum expiationis ad purificationem requirant.

Plura adhuc eſſe dirimenda, declaranda, explananda & in clariorem lucem deducenda, atque obiectionibus variis occurrenda, bene quidem ſcio, ſed cum arctos cancellos huius ſpeciminis transgredi nequeo, in alıud tempus deductionem ampliorem huius materiae, ſi Deus vitam & vires largietur, reſeruabo. Iam pro occaſione data ſufficiunt quae

DIXI.